



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

Henricvs Sommalivs Pio Lectori S. P.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

13.

HENRICVS SOMMALIVS
PIO LECTORI S. P.

IN castigando toto opere Thomæ à Kempis, viri cùm doctissimi, tum religiosissimi, planè mihi vsu venit, quod Plinius de quibusdã pictoribus, Plin. in præfat. Natur. hist. statuariisq; refert. Veteres namq; pingendi, fingendiq; artifices nobilissimi, suis operibus, tametsi absolutissimis (quæ proinde omnis posteritas demirata est) titulo appenso, hūc in modum inscribebāt: *Apelles faciebat, vel Polycle- tus nō autem Fecit.* Qua in re, sua opera quidē esse aliquo modo, non autē omni ex parte perfecta, indicare voluerūt. Si quid tamē in iis desiderari posset, se emendaturos, modò per vitam liceret. Etenim vnicus est, ac solus: ecquis ille? Deus Opt. Max. qui sic vniuersa opera sua complet, vt nec ab homine, nec ab Angelo quidem quicquā ad perfectionem addi possit. Hoc ipsum Moyse, vir ille Deo familiarissimus, indicare videtur, quādo fabricę huius vniuersi, hanc tabellam appendit, *Creauit, fecit.* Genes. 1

Equidē dedi operā, vt ad autographa, ferè omnia Thomæ à Kempis opera, iam primū à me tertia ex parte aucta, & verò

verò castigata, exirèt in vulgus. Ceterū
dum singula denuò ad autographa re-
uocauī, atq; etiam expendi, nōnulla ad
integritatē deesse cōperi. Dicam itaque
cum Apelle (neq; enim verebor) dicam
cū Polycleto liberè, *Faciebam*. Gaudeo
verò, imò gratias Deo longè maximas
habeo, quòd mihi ante mortē, tum va-
letudinē, tum etiam tātillum otij con-
cesserit, vt ea oportunè supplerem, quæ
in prima editione defuerūt. Quantum
verò operæ, quātosq; labores impēde-
rim, solus is nouit, quem cupio in cælis
habere mercedem locupletissimam.

^a *Diuisus*

Ambr.

libro 6.

hexam.

cap. 4.

Plin. l.

10. nat.

hist. c. 36

Virgil. l.

3. *Geor.*

^b *Cælius*

Rhod. l.

20. lect.

anti c. 5.

Oros. in

conc. de

D. Mat.

Apostolo

& Euā-

gelista.

Ego itaq; ^a *Vrsam* imitatus (quæ catu-
los suos informes, frequenter lamben-
do expolire atq; efformare consuevit)
quin ^b etiam *Struthionē*, (quæ non in-
cubando, sed fixis oculis oua diu mul-
tumq; intuendo, pullos excludit) tam
sæpè autographa vidi, legi, reuolui, &
cum priore editione tam sedulò cōtuli,
adeò vt sperem me ad eam perfectio-
nem, omnino castigationem adduxis-
se, vt meritò animo conuiuiscere de-
beam. Vale in Christo, mi Lector can-
dide, & fruire nostro labore incolu-
mis. Gandauī, anno 1600.

IOAN.